





SCHIFFINI S. J.

DISPUTATIONES
METAPHYSICAE



1-2

BD111

S3

1888

C.1

EMETI

009707

OR



1080021626

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

DISPUTATIONES
METAPHYSICAE
SPECIALIS

DISPUTATIONES
METAPHYSICAE

SPECIALIS

A P. SANCTO SCHIFFINI Soc. JESU

ROMAE IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA
PHILOS. ET THEOL. SCHOL. PROF. ORD. RESOLUTAE

VOL. I.

DE NATURA CORPORALI ET ANIMA RATIONALI



UNIVERSIDAD
DE ALICANTE



AUGUSTAE TAURINORUM
EX TYPOGRAPHIA JULII SPERANI ET FILIORUM

MDCCLXXXVIII

Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

46161



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

GUGLIO SPERANI E FIGLI, via S. Franc. d'Assisi, 11, e via Bertola, 54 —
Libreria E. LOESCHER di C. CLAUSEN, via di Po, 19, **Torino**. — F. MILANDRI, Libreria di Propaganda, **Roma**. — FF. BOCCA, via Carlo Alberto,
3, **Torino**; via del Corso, 216-217, **Roma**; via Cerretani, 8, **Firenze**. —
S. BARBIERI, strada Trinità Maggiore, 47, **Napoli**. — P. LETHELLEUX,
rue Cassette, 4, **Paris**. — B. HENDER à **Fribourg (Bado)**; **Munich (Bavière)**;
Strasbourg (Alsace-Lorraine); **Vienne (Autriche)**; **S. Louis, Mo. (États-
Unis)**, 17, South Broadway. — P. DESBARAX, rue de Namur, 26, **Louvain**.

Lectori benecolo

Valetudinis causa a docendi munere ad tempus
distractus, quod voce non dabatur, id scriptis prae-
stare adgressus sum, Disputationes philosophicas
vulgando a me habitas iam ab anno 1862, primum
quidem Legionem in Hispania, dein vero Lavallii in
Gallia, ac demum Romae in Pontificia Universitate
Gregoriana. Alterum iccirco, anno mox elapso, edidi
volumen cui titulus: *Principia Philosophica ad men-
tem Aquinatis*, in quo, etsi Logicae et Metaphysicae
generalis quaestiones fere unice pertractantur; ea
tamen ratione enucleatae sunt, ut integri cursus
philosophici bases contineant et exponant funda-
mentales. Opus in lucem editum in Italia et apud
exterarum Nationum haud ingratum accidit, et sa-
pientum bene multorum gratulationes ad me per-
latae sunt, qui praeterea enixe me rogarunt, ut re-
liquas etiam Metaphysicae specialis Disputationes

009707

ederem. Accesserunt praesertim litterae paterna benevolentia plenae d. 3. Novembris elapsi, quibus supremus totius Societatis Iesu Moderator A. R. P. ANTONIUS M. ANDERLEDY et volumen editum vehementer commendavit, et ut ceteras quaestiones absolverem, magnopere se cupere significavit. Operi propterea alacer manus admovi, ac illud tandem, disponente Domino, ad exitum perduxì.

Quod alterum opus est prioris complementum, et quae in primo quasi in semine latebant, evoluta in secundo invenies. Ambo sese mutuo explicant, et unum faciunt Logicae et Metaphysicae cursum absolutum. In quaestionibus a me pertractatis longissime abfui, ut meo tantum ingenio utens, quae egomet excogitavi ea unice adprobarem: non enim is sum de quo Terentius: *Homine imperito nunquam quidquam est iniustius, Qui, nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.* (Adelph. i. 2^a.) Quae iccirco ab aliis conscripta fuere, studiose consului et attente perlegi, illud etiam ab Aristotele pronuntiatum minime oblitus: *Non solum illis agendae sunt gratiae, quorum opinionibus quis adquiescit, sed illis etiam qui superficie tenus dixerunt. Conferunt enim aliquid etiam isti: habitum namque nostrum praecercuerunt.* (2. Me-

taph. c. 1.) At Regularum mearum haud immemor, Aquinatam prae ceteris faciendum esse duxi, eiusque sapientiam in utroque opere, non tantum quod ad sinceritatem doctrinae, sed etiam quod ad dictionis sobrietatem, ordinem, et perspicuitatem pertinet, pro viribus referre conatus sum. Angelici enim Doctoris scripta, quotquot extant, longo annorum cursu inter sese comparavi, discussi, meditatatus sum, nec praeterea quae ab eius interpretibus prodierunt, ad trutinam diligentissime vocare omisi. Vir certe minime cordatus, nec rerum aequus aestimator is erit, qui genuino filio Societatis Iesu succensere auserit, si inter hos interpretes magni etiam fecerit et diligenter consuluerit probatos illos et eximios eiusdem Societatis Doctores quorum laus in Ecclesia est, quique tanquam discipuli S. Thomae, ei addictissimi, et sapientes interpretes, immo et Ecclesiae luminaria, a Romanis Pontificibus aliisque eruditissimis viris commendari meruerunt. Quum tamen nostri Ordinis alumni, ex Instituti sui ratione, S. Thomam, ut doctorem praecipuum, nedum proprium, sequi debeant, mentem Aquinatis ab ipso praeprimis discere malui; et ne mea vel aliena pro eminentia Aquinatis doctrina venditarem, in iis prae-

sertim quae a Doctoribus Scholasticis in controversiam adduci consueverunt, conclusiones meas plerumque Angelici sententiis et verbis religiose communicare curavi. Physicam quoque suppellectilem novis in dies inventis succrescentem prae oculis habui; ne quid quovis modo non probabile in medium proferrem, quod recentioris Physicae ratis conclusionibus vel refragetur, vel minus apte cohaereat. En, amice Lector, quae in votis habui. Utrum nec ne, ex parte saltem, ea adsecutus fuerim, tuum erit diiudicare: bona voluntas non defuit. Vale.

CHERII in *Subalpinis*. Die festo beatissimi Patris IONATH DE LODOLA: pridie kalendas Augustas MDCCLXXXVII.

S. SCHIFFINI S. I.

METAPHYSICA SPECIALIS

PARS PRIMA

DE NATURA CORPORALI

INTRODUCTIO

1. *Materia tractationis.* — Quemadmodum in Logica declaravimus [*Pr. Ph.* 407] (1), scientifica contemplatio de natura corporali tria complectitur. Etenim primo quidem sagaci inductione se applicat ad ipsa phaenomena naturae corporeae observanda, eiusque leges scrutandas quae ex hac observatione sponte dimanant. Quare haec consideratio merito vocatur *experimentalis*, non certe propterea quod nullo pacto ad causam phaenomenorum mentis ratiocinatione assurgat, sed quia id non aliter praestat nisi, ut dictum est, media inductione et investigatione legum generalium quibus haec phaenomena diriguntur. Secundo vero altius assurgens, generalia principia Matheseos

(1) Haec ratione in decursu operis indicabimus alterum Philosophiae volumen quod edidimus cui titulus: *Principia Philosophica ad mentem Aquinatis*. Citamus autem numerum non paginae, sed marginis.